

**Dissertatio inauguralis medica, de purpura puerperarum ... / [Johann Friderici].**

**Contributors**

Friderici, Johann, active 1728.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeb : Litteris Hendelianis, [1728]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bpwwkx6z>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**PURPURA**  
**PUERPERARUM,**

*Quam,*

AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E

**ON. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,  
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.  
COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino, Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS,**

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. AUGUST.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBJICIET

R E S P O N D E N S

**JOHANNES FRIDERICI,**

ELBINGA-BORUSSUS.

---

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS



ILLUSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOANNI ANTONIO  
DE SCHAFFGOTSCH,  
S. R. I. COMITI,

AC SEMPER LIBERO DE ET IN KYNAST,  
LIBERO BARONI DE TRACHENBERG ET WARTENBERG,  
DOMINO HÆREDITARIO DYNASTIARUM KYNAST,  
GREIFFENSTEIN, GIERSDORFF ET BOBERROHRSDORFF,  
SICUT ET SCHOSDORFF, PREILSDORFF,  
HARTHAU ET BUCHWALDE, ETC. ETC.

*SACR. ROM. CÆS. REGIÆQVE CATHOLICÆ MAJESTATIS*  
CONSILIARIO ACTUALI INTIMO,  
CAMERARIO,

INCLYTÆ SUPREMÆ CURIÆ SILESITICÆ DIRECTORI,  
DUCATUM SCHWEIDNICENSIS ET JAUROVIENSIS GUBERNATORI REGIO,  
ET SUPREMO IBIDEM PRÆFECTO HÆREDITARIO ATQVE AULÆ JUDICI,  
NEC NON DIÆTARUM PRINCIPALIUM SILESIÆ  
PRÆSIDI SUBSTITUTO MERITISSIMO, ETC. ETC.

COMITI, DOMINO AC MÆCE-  
NATI SUO GRATIOSISSIMO

PERENNEM PROSPERITATEM.



ILLUSTRISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME,

S. R. I. COMES,

DOMINE MÆCENAS GRATIOSISSIME.

**I**LLUSTRISSIMORUM Capitum virtutes splendidissimas, prudentiam perspicacissimam, facta insignia & præclara, eruditionem mirandam, famam celeberrimam, gloriam inclytissimam, laudes dignissimas, merita gloriosissima, beneficia amplissima uti tacere turpe, ita oblivione sepelire atque extirpare res est difficillima. Solem enim vertici nostro quasi imminentem, maximumque circa meridiem splendorem nactum, radiis ejus a nullo vel nebulae aut nubis, vel corporis solidi caelestis aut terrestris impedimento interceptis, oculorum sensui illaeso manere abstrusum, eundemque prorsus latere, res est Naturæ legibus ex opposito contraria, a ratione abso-



absona, ab experientia aliena. ' Quem Naturæ  
ordinem semper æqualem & continuum æqua  
meditationis lance ponderans, jam demum mi-  
rari defino, si splendor ILLUSTRISSIMÆ TUÆ  
EXCELLENTIÆ, luce nitidissimarum virtu-  
tum undequaque coruscans, gentium vel maxi-  
me remotarum oculos non sine grato titillationis  
& blanditiei sensu ferit atque percellit, si porro  
stirpis TUÆ gloriosissimæ laudes canunt felicissi-  
mi Poëtæ, si evehunt liberrimæ Musæ, si com-  
mendant elegantis uberrimi Panegyrici, si enar-  
rant Historiographi fide dignissimi, si metiuntur  
Geographi exquisitissimi, si ordine recensent at-  
que disponunt Genealogicarum tabularum fabri  
& collectores accuratissimi, si officia TUA longe  
æstimanda condigne æstimant & desiderant AU-  
GUSTISSIMI CÆSARES, si amicitiam TUAM incunt  
SERENISSIMI PRINCIPES, si consilia atque auxilia TUA  
expectatissima dispiciunt Proceres, si jussa TUA  
æquissima expectant fidissimi Ministri, si sum-  
mum TUUM favorem atque patrocinium muni-  
tissimum, tanquam suum decus atque incremen-  
tum, colunt quamplurimi ingenui litterarum  
cultores, si moderamen TUUM placidissimum si-  
bimet optant nunquam interiturum subditi, si  
prudentiam TUAM celeberrimam mirantur exte-  
ri, si clementiam TUAM magis quam paternam



exorant indigenæ, si sub tutela tua gratiosissima  
solamen maximum anhelant, sperant & inveni-  
unt miseri, si iustitiam tuam exactissimam veren-  
tur mali, si denique indulgentiam tuam latissi-  
mam venerantur atque experiuntur boni: desi-  
no, inquam, mirari, quoniam ea omnia optimo  
jure fieri conspicio. Ex iisdem sane rationibus  
& ego commotus, ex eo statim tempore, quo ad  
me, in loco patrio maritimo mediocriter dissi-  
to annos recentioris adolescentiæ adhuc volven-  
tem, fama de virtutibus tuis summa gloriæ lau-  
de dignis effet perlata, tanta illustrissimorum EX-  
CELLENTIÆ TUÆ meritorum submississima  
mentem subiit meam veneratio, ut altissimas  
subito in præcordiis meis egerit radices, quas  
postmodum evelli merito nunquam sum passus.  
Nullum enim sub pectore meo ardentissimi ob-  
sequii pleno intensius unquam & fervidius flagra-  
vit desiderium, quam ut aliquando ab aureo tuo  
astro, tam illustri gratiæ splendore, radiisque dul-  
ci blanditiæ refocillantibus coruscante, excitari,  
foveri, illustrari, conservari, augmentari mihi  
aliquando obtigerit, deinde ut per alternantem  
suavisimæque solantem prudentissimæ tutelæ  
singularisque benevolentiae umbram refici, re-  
frigerari, confirmari, placidissimamque sub beni-  
gniori hujus stellæ influxu captare quietem fuerit  
con-



concessum. Cui voto flagrantissimo cum jam-  
jam felix responderit effectus exoptatusque suc-  
cessus, ut Friedebergæ in Silesia per aliquot ab-  
hinc annos sub ILLUSTRISSIMO EXCELLEN-  
TIÆ TUÆ moderamine arti salutiferæ operam  
impendere potuerim, atque experientia satis su-  
perque sit suffragata, eam, qua præclarissima TUA  
& sapientiæ & gratiæ facta in terris celebrantur a-  
lienis, gloriam non modo non esse suspectam  
aut fucatam, verum etiam omni fama omnique  
deprædicandi facultate longe superiorem. Fretus  
itaque ulteriori indiesque crescente affectu tuo  
gratiosissimo, precans veniam, non vereor acce-  
dere propius, atque nunc patula diducere præcor-  
dia. Mihi videlicet ex dicta superius urbe, stu-  
dia mea prorsus conficiendi gratiâ, ante aliquot  
annos peregrinato, auribusque attentis interim  
virorum solidæ eruditionis laude in diversis Aca-  
demiis condecoratissimorum ori adhibitis; jam  
vero studiis stricte dictis Academicis ad finem cum  
Deo propositum sub almo ejus auspicio perdu-  
ctis, id maxime supererit, ut, gratiosissimo Sum-  
mi Mæcenatis patrocinio nixus, firmo in poste-  
rum stare talo, Praxinque meam medicam im-  
moto superstruere queam fundamento: quam-  
obrem nunc supplices & humillimas ad ILLU-  
STRISSIMAM TUAM EXCELLENTIAM de-



volvo preces, cui primos, utut tenues laborum at-  
que studiorum meorum foetus atque proventus  
venerabundo animo consecratos atque dicatos  
volui. Est quidem tanta tentaminis hujus tenui-  
tas, ut Celsissimo tuo patrocinio videatur indi-  
gnum; attamen gratiæ jam celebratissimæ non  
obscuram denuo præbebis tesseram, si præsidii  
splendidissimo decore clementiæque redundan-  
tis largissimo apparatu adæquabis atque sup-  
plebis & operis & offerentis levitatem atque de-  
fectum; illud enim magnanimitas TUA haud exi-  
gua jam multoties testatum fecit, quod sit vo-  
luntate viribus adæquata, animoque integerri-  
mo atque devotissimo contenta. Cliens igitur  
subjectissimus ex eo, quo TIBI, ILLUSTRIS-  
SIME COMES, sum obstrictus, summi obse-  
quii atque observantiæ officio humillime rogo  
atque obtestor, velis pro gloriosissimo tuo in  
rem litterariam sensu scripto huic jam publici  
juris facto accessum ad reconditos benevolentiae  
recludere abscessus, vultum largiri benignissi-  
mum, illudque sub alis & sinu gratiæ fovere, con-  
traque temporum injurias strenue defendere.  
Quem novum Clementiæ summæ testem si abs-  
TE, MÆCENAS EXCELLENTISSIME, im-  
petraverim, fortunæ hac in vita sperandæ con-  
veniens pro moduli mei angustia fastigium atti-  
gisse,



gisse, immo superasse videbor, cujus fundato-  
rem atque auctorem præter TE, PATRONE  
CELSISSIME, si a Deo discessero, per omnem  
vitam venerabor neminem. Conservet Deus &  
firmet per seros adhuc annos vires illibatas tali  
terrarum Decorì, tanto salutis publicæ fulci-  
mento, ut & mihi liceat, sub tam dexterrimo  
rerum moderatore cum pectore obsequiosissimo  
extremum vitæ pertexere filum. Sit alma Nu-  
minis dextra DOMUS ET STIRPIS TUÆ  
ILLUSTRISSIMÆ protectrix potentissima, sit  
perpetuæ felicitatis, sit continuæ & fœcundissi-  
mæ successionis conservatrix vigilantissima. Sis  
ipse salvus & incolumis, ut Ars nostra Soteria ad  
refarciendam TUAM sanitatem non indigeat au-  
xiliis, sed ut ad eandem præmuniendam suffi-  
ciat idoneis præcurrisse consiliis. Nix Veneran-  
dæ TUÆ senectutis cum canitie sincerrima lætis-  
simo iterum flore viridescat, juventutisque ro-  
bore vigeat. Adspiret Divina benignitas cæptis  
tuis gloriosisimis, annuat saluberrimis consi-  
liis, adsit prudentissimis moderaminibus, læ-  
tissimis secundet eadem successibus, prosperri-  
mis coronet finibus. Sic cives vociferabuntur  
ovantes: VIVAT ILLUSTRISSIMUS COMES,  
sic quilibet vir bonus tripudians acclamabit: VI-  
GEAT RERUM PUBLICARUM MODERATOR DEXTER-  
RIMUS,



RIMUS, sic triumphans universus Pieridum cœ-  
tus applaudet: CORUSCET SPLENDOR MUSARUM  
PRÆSIDIS GRAVISSIMI ATQVE SAPIENTISSIMI, qui-  
bus & ego lætissimus meum addo calculum,  
anhelans magis, quam calamitans: VALEAS  
NUTRITOR prosperitatis meæ GRATIOSISSIME, dul-  
cissimisque favoris uberrimi velis irrigare rivu-  
lis subditum nihil unquam magis sitientem, ex-  
que devotissimo obsequendi animo efflagitan-  
tem, quam præclara hujus nominis insignia,  
quod sit semperque inveniatur

## ILLUSTRISSIMÆ EXCEL- LENTIÆ TUÆ

Dabam ex Museo Halensi ad Cal.

Aug. A. R. S. clō lo cc xxviii.

*Clientis subjectissimus*

JOANNES FRIDERICL





## PRÆLOQVIUM.

**M**Orborum, corpus humanum affligentium, ingens copia nemini ferme incognita esse potest, siquidem *Hippocrates in Ep. ad Damagetum text. 279. totum hominem a natiuitate morbum* nuncupavit; & si diversam vitæ humanæ conditionem perpendimus, innumeri morbi varias hominum ætates, quælibet temperamenta, differentem sexum, &c. invadunt; quid? quod non modo universum corpus in morbosum consensum trahitur, sed & quælibet ejus pars varia morbida corripitur afflictione; hinc aliqui Medicorum antiquorum, ut *Galenus*, & recentiorum, ut *Wolhuysen* certum numerum morborum oculorum computare & allegare sciunt, alii ex aliis momentis notabilem multitudinem morborum colligunt; hinc nonnulli morbos novos, alii morbos communes, aliqui morbos occultos, quidam morbos omisos, alii morbos particulares, senum, infantum, fæminarum, simulatos, subitaneos, complicatos, epidemi-



demicos, sporadicos, raros &c. exponunt & recensent: quam ob rem extra forum Medicorum hanc immensam morborum seriem & congeriem accusarunt *Plinius hist. nat. Lib. 7. c. 51. Seneca Ep. 95. Juvenalis Satyr. 10. v. 218. seq.* e Medicis vero *Melchior Sebitzius in diff. de Morbis An. 1662. edita* singularem copiam & diversitatem morborum annotavit. Diffusus certe labor esset vel in succincto tantum compendio talem morborum cumulum enarrare velle, quamobrem solum hac occasione pauca de fæminarum affectibus inferere placet, de hisce *Hippocrates in Loc. in hom.* dicit, *est feminino generi pars una uterus, omnium morborum virgineorum & muliebrium seminarium & radix.* & *Democritus in Ep. ad Hipp. de nat. human.* *Uterus millenarum ærumnarum autor est;* quo pertinet *Helmontii* effatum, quod *famina omnem morbum bis patiatur:* cum hisce effatis consentit *Bartholinus*, qui in *Act. Hafn. Vol. 3. p. 29.* eloquitur: *Uterus est officina rerum mirabilium:* hinc *Hipp. in Lib. de nat. mulier.* judicat, qui recte tractare vult fæminarum morbos, oportet primum ex *Diis* exordiat *curationem.* Et ita etiam suam tractationem de *Morb. Mulierum Musitanus* auspicatur: *miserabiles præ hominibus est mulier, tam in cœlibi, conjugato, gravido, quam viduo statu, quia unius uteri ratione sexcentis facta est calamitatibus obnoxia; in omni enim ætate, statu & conditione mulieris uterus angit, in varios casus & vitæ conjicit discrimina.* Sed ne iterum in amplissimum campum morborum muliebrium observandorum ingrediamur, hoc loco tantum *Puerperarum* morbos succincto annotamus stylo, de quibus *Mercatus Tom. 3.*  
di-



dicat, quod *numerosi & periculosi* sint; siquidem *Varandaeus Lib. 3 de M. M.* eloquitur: *Et si vel nudis mulierum præc. puerperarum agrotationibus plures Medici enodandis & explicandis operam darent, satis superque de re medica se commendarent: Quid? quod ipsa observatio practica abunde edocet, quod Puerperæ ex multis causis quotidianis & copiosis morbis subjiciantur, adeo ut iidem peculiarem tractationem & explicationem mereantur, qualem præter Mercatum, Sennertus, Ettmüllerus, Bonetus, Mercurialis, Wedelius, Stablius, variique alii commendarunt & obtulerunt. Et quamvis fæminæ peculiarem prærogativam ad ægrotandum teneant, quam Celeb. Stablius in Patbologia sua medica annotavit & explicavit; nihilominus tamen Puerperæ per partum ad multos & eximios disponuntur morbos, qui ut plurimum acuti & periculosi existunt, id quod fusius professus est Conr. Gesnerus in Schol. ad Libr. Moschionis de muliebribus affectibus: Et quamvis processus partus proxime uterum concernat, unde vicissim variæ morbosæ calamitates originem ducunt; tamen varii Puerperarum morbi universum corpus in consensum trahunt, ut non modo aliæ internæ vicinæ, sed & diffusæ & externæ partes ex partus occasione in arduos conjiciantur morbos, ut Montuus in Anasceve Tom. 2. monuit. Tantus enim est totius corporis consensus, ut non modo ab afflictione internæ partis exterior corporis regio aliquando compatia-  
tur, aut ut cum omnibus internis visceribus exterior corporis habitus consentiat, sed & ut cum externarum partium fonticis morbis internæ quædam par-*



tes consecutive compatiuntur: quod thema observationis practicæ non modo peculiarem disquisitionem promeretur, sed & evidens testimonium perhibet, quod grande, fastuosum & prodigiosum illud asylum generis nervosi principalem hujus consensus causam minime efficiat. Inter multas alias meditationes, unicam hanc observationem hac occasione annotamus, quod uterus ad varias externi habitus corporis afflictiones morbosas contribuatur, velut ad tumores, ulcera, pforam, scabiem (sicut in *A. N. C. Dec. 1. an. 3. obs. 62.* recensetur historia de *Scabie menstrua, a retentis mensibus*) Erysipelas, inflammationem, serpigines, lentigines, maculas hepaticas, verrucas (qualem casum commemorat *Salmuth. Cent. 2. obs. 27.*) maculas in manibus (*conf. Salmuth. Cent. 3. obs. 18.*) icterum (qualem cum mensium suppressione consentientem allegant *A. N. C. dec. 3. an. 1. obs. 87.*) efflorescentiam tuberculorum in tota corporis superficie (qualem casum a Lochiorum suppressione ortum recenset *Bartholinus Act. Hassn. Vol. 2. obs. 5.*) variasque alias defædationes: inter alia vero notatu perquam digna morbida pathemata, quæ simul fontica & periculosa sunt, meretur præcipue recenseri *Purpura*, quæ, sicut a *Wedelio* in *diff. de Purpura Puerperarum* teste experientia medica sequiori sexui familiarior existit, ita cum mensium & Lochiorum, imo ipsius graviditatis & partus negotio admodum consentit: & dum hic affectus in Puerperis arduus & ominosus est, siquidem ipse partus cum consueto suo comitatu pro morbo habetur, ut *Purpura* nunc conjuncta complicatum



tum & tanto magis intricatum affectum, constituat, ita cum DEO constituimus præfenti Inaugurali Specimine de PURPURA PUERPERARUM tractare, cui proposito ut divina bonitas annuat, est quod humillime rogamus.

§. I.

**P**urpura in se spectata affectus est *singularis* speciei, qui Medicorum *scandalis* adscribi meretur, dum *prima* sua invasione non modo sub *multiplici* larva *difficiliter* agnoscitur, sed & *agre* subjugatur, tanto minus vero *penitus* e sede sua, quam *semel* occupavit, ejicitur, quoniam semper *seminium* quoddam relinquit, unde in futurum nova *periculosior* ingruit calamitas: tanto magis vero hic *ominosus* morbus *intricatus* & periculosus existit, quando subiecta *tenera*, *debilia*, enervata & valetudinaria corripit. Quoniam itaque *Puerperæ* de *talibus* qualitatibus quadantenus participant, ita Puerperarum *Purpura* fonticum & tota hac sua complicata constitutione *periculosam* offert affectum atque statum. Haud vero in hoc introitu in notationum *nominalium* aut nominis significatum ampliore explicationem conscendere lubet; sed potius præsupponimus toties *alibi* propositam Purpuræ descriptionem & enodationem: quam ob rem *ardui* hujus affectus *conditiones* & qualitates in *Puerperis* perlustrare placet; etenim *omnes* morbi, qui *Puerperas* corripunt, *novam* ex horum subsectorum ratione induunt qualitatem, imo *omnes* affectus, qui alioquin sua indole *leniores* & tractabiliores existunt, quando *Puerperas* invadunt, acerbiores & *graviores* evadunt; & si cæteroquin interdum *Puerperæ* quædam *tolerabili* statu fruuntur, si *levior* morbus iisdem supervenit, tantum efficit, quo aliquando *periculosiori*



*lofiori* statui eædem subjiciantur : Neque tamen putandum est, quasi hic morbus *essentialiter*, formaliter, aut *absolute* cum *Puerperii* statu cohæreat, licet *aliquando* ipse *multas* *Puerperas* affligat, aut interdum plane inter *Puerperas* *epidemice* grassetur, dum potius ubique ex *accidenti* concurrat, & nullum *strictum* & *positivum* jus aut in *Gravidas* aut *Puerperas* habet; interim illud contingit, ut in *gravidis* & *Puerperis* tales remotiores causæ coincident, quæ ad *miasma* purpuratum *generandum* & *sustentandum idoneæ* sunt, æque ac *talis* dispositio in *alio* sexu, statu & *subjecto* occurrere solet: Interea hæcenus solliciti & attenti Medici hanc *complicationem* *Puerperii* cum *Purpura* non sine aliquo angore & tacito horrore annotarunt, utpote probe gnari, quam periculosus *tunc utriusque* affectus evadat status, adeo, ut varii ad *avertendam* & *præservandam* hanc *complicationem* curam studiumque impendant: sicut passim viri docti *Purpuram* in *concreto*, i. e. sub tali *complicatione* explicarunt, inter quos præcipue *Ettmullerum* & *Wedelium* nominamus. Est proinde hic affectus interdum ita *absconditus*, ut non nisi sub *Puerperio* se manifestet, in *reliquo* vero *foeminarum* statu aut *parum* affligat, aut plane quasi *lateat*, quæ observatio facile quenquam *seducere* possit, ut *Purpuram* cum *Puerperio* *absolute* & *essentialiter* *coherere* autumat; ast dum *plurima* *Puerperarum* pars, in relatione ad *reliquas*, a *Purpurato* hoc affectu *immunis* deprehenditur, ita facile apparet, hanc *complicationem* *accessoriam* esse: quo loco verba *Illustris D. D. Stablii* in *disp. de Puerperarum affectibus* p. 18. allegamus: *Vulgo* numerant inter *Puerperarum* affectus *Purpuram albam* s. *miliarem*; cum autem inter *multa millia* *Puerperarum* per totum orbem non solum longe paucissimis eveniat hic affectus: in uno autem vel altero solum certo loco hoc familiaris facere observetur, non tam ut directus *Puerperii* affectus con-



*considerari meretur, sed potius dispositio puerperæ solum, ut occasio quædam facilioris invasionis hujus morbi habenda venit: tanto magis cum hic morbus aliis etiam & utriusque quidem sexus subiectis communis sit: adeoque hoc intuitu, non magis directe ad puerperii vitia referendus, quam aliæ aliquæ febres, quæ corpus Puerperæ solum ut magis dispositum ad lésiones subeundas invadere possunt.*

§. II.

Quod porro *Purpuræ Puerperarum* consideratio speciali disquisitione & explicatione digna sit, variis argumentis & rationibus confirmari potest; ita enim hæc tractatio 1) morborum complicatorum indolem & historiam in genere illustrat, insuperque comprobat, quod varii morbi, varia subiecta, quilibet sexus, variæque hominum conditiones complicationibus talibus obnoxia existant: 2) Purpuræ ipsius variantem statum & gradum in tali connectione cum *Puerperio* prodit, generice etiam valde intricatam, perversam & communiter periculofam hujus morbi qualitatem certiorat. 3) causam etiam purpuræ, quæ satis abscondita est, quadantenus detegit & quid ex *Graviditatis* & *Puerperii* statu ad excitandum & augmentandum hunc morbum contribuit, edocet: 4) tanto magis Medicum conscientiosum providum reddit, quo *Puerperæ*, quæ alioquin facile in perniciosum statum conjiciuntur, majori cura & sollicitudine foveat & tractet: 5) reddit proinde hæc animadversio Medicum tanto magis certum in invenienda & confidentius administranda & continuanda præservatione fontici hujus morbi, ne periculofam ejus eruptionem & invasionem secure & negligenter admittat & exspectet, siquidem principis obstore prudentis artificis officium: 6) præterea hæc meditatio differentias morborum magis certas & perspicuas reddit, dum confirmat, hunc morbum *Puerperis* non esse essentialem, sed accidentalem, subinde 7) edocet, quam diversis arduis

B aste-



affectibus subeundis *habiles* existant *Puerperæ*, quæ *consideratio circumspectum* reddit Medicum, ne illas *laxius* & *incuriosius* tractet: 8) porro indicat, in *quibus* *Puerperis* tale *concursum* malum metuendum, *prelicendum*, & tempestive *avertendum* sit: 9) nec non de *ipsa* *Purpura* testatur, quantam propensionem habeat ad *varios* homines corripiendos & quam proclivis sit in *epidemicum* & plane *malignum* statum: 10) ex hac annotatione inclarescit etiam, quam prona sit *Purpura* in *febrile* schema; siquidem *alias* *Puerperæ* *facile* *febrilibus* corripuntur motibus; hinc vulgo etiam Medici *Puerperarum* *Purpuram* sub titulo *Febrium Puerperis* familiare tractare solent: 11) Hæc tractatio informat & confirmat pariter Medicum, quam *leniter* & *provide* in omni statu *Puerperæ*, tam quoad *regimen* congruum, quam quoad *therapiam* dirigendæ, siquidem *fomes* purpurati hujus morbi facile ita commoveri potest, ut cum *periculo* & præjudicio totum malum *erumpat*: denique 12) indicat hæc disquisitio, in *quibus* subjectis *miasma* purpuratum *latitet*, quod non semper cum *cutanea* efflorescentia se prodit & quod perinde facile *malo* regimine & *incongrua* medicatione in *malignam*, aut ad minimum *deteriorem* indolem, quam *benignus* hujus affectus status est, conjici potest.

### §. III.

Hæc *Purpura* sicuti *colore* discernitur, ita vel *rubra* vel *alba* *Puerperas* quandoque corripit; & licet *illa* in *nonnullis* climatibus lenior & *benignior* existat, tamen *promiscue* in omnibus *Puerperis* *aliquod* periculum portendit, quamvis *alba* communiter acerbior & *periculosior* existat; unde *utraque* pro *diversitate* circumstantiarum nunc paulo *mitior*, alibi *gravior* esse solet: hinc *utraque* in *Puerperis* *eminenter* *Plethoricis*, aut sanguinis *fortioribus* commotionibus subjectis, *diæta* vel *spirituosa* & valde *aromatica*, vel *impura* & humores corporis perquam *depravante*



vante fruētibus, animo distincte *sensibili* & in *potentes* & *frequentes* affectus pronis, cœteroquin humores admodum *impuros* gestantibus &c: ominosior & *deterior* esse solet. Deinde Purpuratus hic affectus aliquoties *simplex* & *chronicus* adeoque febrili comitatu destitutus est, interdum iterum *cum Febre* complicatus subjecta irruit, qualem *posteriolem* Purpuræ statum D. D. *Præses* peculiari Dissertatione explicavit & deduxit; porro nonnunquam conjuncta febris *benigna*, aliquando *maligna*, interdum plane *epidemica* existit: quando vero hic affectus *Puerperas* invadit, tunc ut plurimum *complicatas* qualitates assumit & *deterioris* conditionis evadit; siquidem in *Puerperis* hic morbus *communiter febrilis* & quidem *acutus* est; ubi tamen iterum *subjectorum* & *tempestatum* ratio habenda est, quæ *posteriores* aliquando ad *malignam* indolem huius affectus contribuunt: imo *loci*, *viçtus* & *potus*, *soli atmospheræ*, *ventorum* &c. concursus & nexus provide observandus est, quoniam in locis aut *paludosis*, aut *sabulosis*, aut in quibus aer diutius intra *montosos* tractus detinetur, aut quibus *sylvæ spissiores* & densiores vicinæ, e quibus multa *humida* & *impura* effluvia afflant, aut ubi multi *fumi* & vapores carbonarii, *sulphurei*, *metallici* adspirant, aut quando *ventus* frequentior a plaga *occidentali* & *meridionali* accedit, &c: Purpura *deteriorem* qualitatem etiam in *Puerperis* assumit. Et quemadmodum *alii* affectus, velut *catarrhi*, *rheumatismi*, *morbili*, *variolæ*, febres alix diversæ, *podagra* &c. uno tempore *tractabiliore*s & *mitiores* observantur, alio *perstinacior*es & *graviores*, ita hæc Purpurata afflictio in *Puerperis* simili modo *discrepat*, ut nunc aliquales molestias *insolitas* sub *Puerperii* periodo *fæminæ* experiantur, *citra actualem* pustularem efflorescentiam; nunc vero *alio* tempore hic affectus *tragicos* quosdam successus & decursus inferat: imo si quædam *fæminæ* per *hereditatem* hanc iniquationem



Purpuratam possident, tunc contingit, ut communiter in *Puerperis periculosior* evadat & subinde sua subjecta citius opprimat & interimat: Neque observatu rarum est, ut dum alias Purpura febrilis justum *typum*, ordinem & processum facile & aliquoties *transgreditur*, in *Puerperis* ob statum *complicatum* eadem *tanto magis* perverse & *irregulariter* progrediatur, adeoque intra *brevem* temporis ambitum *funeste* decurrat. Præterea de hoc affectu notandum est, quod in *nonnullis* subjectis sequioris sexus sub *cœlibatu*, in aliis sub *graviditate*, in quibusdam per *laboriosum partum*, in aliquibus *post partum* generetur, quamvis causa *materialis*, unde *specialis* talis humorum *dyscrasia* pendet, non æque *directe* & *proxime* a partus negotio proveniat, siquidem *sub partu* & *post illum* talia *irritamenta* irruunt, quæ hujus morbi genesin *occasionalis* causandi ratione promovent: Quid? quod interdum accidit, ut hæc Purpura Puerperas, aliis jam morbis laborantes, affligat, velut *inflammatione uteri*, *febre acuta* ex Lochiorum suppressione, *erysipelate* mammarum, *febre intermittente*, *ictero*, in quali casu *complicatio copiosior*, sed eo ipso etiam *periculosior* evadit: quæ observationes de Purpura Puerperarum in *generali* adhuc tractatione annotandæ sunt.

#### §. IV.

In *Historica* præsentis morbi delineatione mox nonnullas condiciones & *qualitates* in *subjectis* allegabimus, quæ primo respectu sui *discreti sexus*, deinde in *relatione* status *Puerperii* observari debent: Et ita *foeminae* in *genere* ad *purpuram* subeundam ob varias rationes *aptiores* sunt, quoniam *molliori* & *laxiori humorum* mixtione præditæ sunt, qualem alia *inquinamenta* sulphureo-salina *facilius* invadere, *alterare* & destruere possunt: deinde sequior sexus communiter plus de *gelatinosa lymphatica* substantia in humorum massa participat, quæ *principale* sub-



subjectum constituit, in quod *proximius* miasma *purpuratum* operatur: porro *habitus* corporis *fæminarum laxior* non modo aptior est ad *disseminandum* & *asservandum* hoc miasma, sed & ad *recipiendum*, per *externam* communicationem: præterea sequior *sexus* generice citius *dyscrasiam* humorum subit, testimonio *fæminarum*, quæ ex *Mensium turbis* facile & *prompte* in eminentem *cachymiam* & *cachexiam* delabuntur: & quoniam præterea in *sequiori* sexu facile *reliquæ* salutares *evacuaciones* impediuntur, ut *alvus* præjudiciose *adstringatur*, ut ob *amittum* negligentiores & varia *perversa regimina* transpirationis insensibilis sufflaminetur, ita ex hisce causis *massæ* humorum *inquinatio* provocatur: accedit proinde multiplex error qui in *dieta* occurrit, qui in sexu sequiori, utpote *sensibili* & *teneriori* *facilius*, quam in masculino eminentia & *singularia* damna excitat: ut nihil dicamus de *hereditaria* dispositione, quæ in *fœminis* citius succedit & *firmiores* radices agit, unde a matribus, hoc *purpurato seminio infectis*, in *natas* idem malum propagatur, quod non modo in *tenera* ætate affligit, sed & in statum *futuræ graviditatis* & consequentis *Puerperii*, serpit & progreditur: neque oblivioni tradenda est *fæminina sensibilitas* in *animo* & ex hoc in *corpore*, obvia, quæ *multum* contribuit ad *miasma Purpuratum*, permotum *infectionis* ab *extra* & ab *aliis Purpuratis* subjectis *contrahendum*: quæ *communis* est qualitas, dum homines *delicati*, *trepidi*, *meticulosi*, *anxii*, *soliciti* &c. affectus *epidemios* citius subeunt, ac vicissim homines *robustioris*, *firmioris*, *durioris* & *intrepidæ* indolis *efficacior* *resistentiam* contra tale miasma, *subtili* licet modo, in *œconomia vitali* experiuntur, ut *seminium* tale vel *semi*, vel *plenarie* malignum, *tanto* naturæ robore *efficaciter* & cito eliminetur, ne sub aliqua *mora* *firmiorem* in corpore *sedem* & *tenaciores* radices occupet: Proinde cum *Mensium tur-*



*bato & anomalo negotio multiplices humorum & partium solidarum inquinatio- nes cohærent, unde nonnunquam specialissimæ lymphæ depravationes, cutis defædationes, superficiales efflorescentiæ, ulcerationes &c. oriuntur, quæ post legitimam menstrui illius fluxus ordinationem, paulo facilius corrigi & curari possunt: ob id etiam aliquando contingit, ut pro convenientia specialis craseos lymphæ & reliquorum humorum, ex Mensium ataxia purpuratus affectus originem & ulteriorem sustentationem nanciscatur. Quod vero relationem Graviditatis & Puerperii ad infectionem Purpuratam attinet, tunc ut plurimum sub graviditatis statu ordinariæ excretiones impeditæ & inordinate succedunt, unde massa humorum communiter inquinatur & ex parte ad purpuratam infectionem disponitur, quæ dispositio non raro per & post partum in actum deducitur: quorsum etiam Lochiorum turbæ, nec non aliæ particula- res uteri impuritates, ab insufficienti hujus repurgatione provenientes, contribuunt: unde communiter gravidæ occultum tale miasma continent, quando post puerperi- um demum in intricatum hunc morbum incidunt: hinc in praxi medica tales aliquando fœminæ occurrunt, quæ sub quolibet Puerperio Purpuratum hunc morbum experiuntur: quando etiam jam semel hoc purpurato inqui- namento fœminæ correptæ sunt, tunc morbus ille tan- to certius & gravius post partum se manifestat, id quod et- iam de fœminis in cælibatus statu purpurato seminio & contagio infectis valet.*

§. V.

*Quod in historica hujus Puerperarum Purpuræ ex- plicatione specialem statum, ortum, progressum, decur- sum & exitum huius morbi attinet, tunc nonnullæ fœmi- næ sub Graviditatis accremento & proxime ante Partum prodromos huius affectus experiuntur, velut insolitas car- dialgias, propensiones in animi deliquia, inopinatas phlo- goses*



*goses, cum angustis præcordialibus conjunctas, cordis ominosas palpitationes, tensiones & dolorificas spasticas membrorum tractiones, prurientes molestias in cute, sudationes anxias, ominosas horripilationes, afflictiones semicolicas, virium prostrationes, appetitus depravationes, somni perturbationes, pectoris oppressiones & aliquales oppletiones humorosas, non facile expectorationi obtemperantes, branchum & rheumaticas faucium & pectoris molestias, capitis imbecillitates & confusas alterationes, inconsuetas alvi fluxiones & adhuc specialissimas alias individuales ominosas afflictiones & alterationes. Quando vero post Partum Purpura hæc actu erumpit & invadit, tunc frequentius & communiter cum intensiori febrili comitatu in- & progreditur; & si antehac fœminæ tales chronica Purpura molestiæ fuerunt, tunc sub Puerperio & post hoc facile febrilis motus conjungitur; interdum tamen etiam sub leniori statu sine febre Purpura in Puerperis permanet: Si cum & sub Febre Purpura corripit, tunc præcedit ut plurimum operosus aut difficilis partus cum multa sanguinis commotione & corporis exæstuatione, ut & si aliquando ad confortandum fœtum & facilitandum partum remedia concentrata & calefacientia propinata fuere, vel suspectum aut internum aut externum refrigerium contingit, vel ominosæ alvi adstrictiones ante partum præcesserunt & post partum continuarunt; frequentius etiam lochiorum turbæ, & quidem defectivum præcipue illorum statum concernentes, occurrunt & non raro insuper plethoricus corporis status in talibus fœminis observatur: Invadit sæpe Purpura fœminas mox primis Puerperii diebus, quo tempore illa periculosius puerperas detinet: aliquando tamen paucis septimanis post partum corripit: si cum febre subjecta affligit, præcedit ut plurimum ominosa horripilatio & excipit gravis æstus, cum angente superficie corporis oppletione & insigni sanguinis orgasmo, concurrit magna angustia præcordialis,*



dialis, eximius *dolor capitis*, *oppressoria præcordiorum* afflictio, *pulsus* est, *febrilis*, aliquando *inordinatus*, sæpius *debilis*, angunt *animi deliquia*, ingruit insolita *rauca* & *sicca tussis*, irruunt graves *virium prostrationes*, non raro *mens vacillat* & *deliræ* actiones intercurrent: superveniant *anxii sudores*, interdum *sub fortiori* & *ardente velut æstu*, *arida* permanet *cutis*, sæpius *spasticæ* tensiones *membra* cruciant: in *intestinis* quandoque percipitur inquietudo *fermentantis* velut *saburræ* latitantis: accidit nonnunquam valde *enervans* *alvi fluxus*: & hæc pathemata *per aliquod dies* perennant, donec sub valde *pruriente* *cutis* molestia *purpura*, quæ *ut plurimum* *alba* est, efflorescat: hæc eruptio in *Puerperis* *haud exquisitum* diem adeoque *regularem* typum ordinarie servat. Interdum & *rubra* & *alba Purpura simul* corripit & efflorescit, interdum se invicem excipit: nonnunquam *ante purpuræ* eruptionem *membra* quædam *particularia*, sive *brachia* cum *manibus*, sive *femora* cum *pedibus* *obrigescunt*, *refrigescunt* & *velut paralyti* correpta *insensibilia* & *immobilia* redduntur. Interea sub hisce pathematibus *periculose* decumbunt *puerperæ*: interdum *lochial* sunt *imminuta*, aliquando *largius* fluunt & magna inquietudo *tractoria*, *congestoria*, cum sensu *ardoris* conjuncta in *utero* hujusque *confiniis* concurrit: *Urina* est valde *tingta*, *rutilans* & *turbulenta*, quandoque etiam sub *meliori* morbi progressu *sedimentum* largum deponit: durat hæc *tragoedia* *per plures*, videlicet *decem* aut *quatuordecim dies*, donec *purpura* in *cute* *exarescat*, *squamarum* instar *secedat* & *æstus* febrilis *gradatim tepescat*; hincque ita afflictæ *foeminæ* tardius vires colligant & *convalescant*.

§. VI.

Nonnullæ *foeminæ laboriose* quidem pariunt, sub partu valde *æstuant* & *sanguinem* commovent; tamen posthac *sufficientem* & *legitimum lochiorum fluxum* experiuntur:  
quid



quid? quod per aliquot dies *mediocriter* degunt, ut *nulla* suspicio ingruentis morbi, nedum *Purpuræ* adsit, *post aliquot* dies irrunt *ominosa* pathemata, *prima* sua invasione admodum *equivoca*, præcipue cum *eximia virium prostratione* conjuncta: summus membrorum *torpor* & concursans *pectoris oppressio*, *anbelosa* respiratio, *tussiculosa* commotio, *æstus* magnus peritis Medicis paulo facilius hunc metum de *latitante purpurato* affectu significant & interpretantur: nonnunquam affligit *quasi paralytica* certorum membrorum offensio, cum *tremore* aut *insensibilitate* conjuncta, interdum plane *ratio vacillat*, ut plenarius *stupor* & *impotentia* mentis excipiat, *lingua gravis*, tremula, balbutiens, *oculi torvi* & *fixi* existant & *apoplecticus* velut status compareat: quandoque *vehementes congestiones* aut ad *pectus*, aut ad *caput* tendunt, sub quibus sanguis ab *extremitatibus* corporis retrocedit, quæ *impallescent*, *obrigescunt* & *refrigescunt*: hinc vel *synoptica* angustia præcordialis, vel magna *deliria* & pathemata quasi *phrenitica* corripunt, sub quibus *eximius* metus *subitanei* funesti exitus premit: sub *periculosis* talibus pathematibus quandoque *anxius* & *frigidus* erumpit sudor, nonnunquam *cutis arida* permanet & *nulla* exspiratio peripherica succedit, inde præcordialis *angustia* magis augefcit & increbescit: interdum ipsa *purpura* haud efflorescit, sed tantum in talibus *conatibus* excretoriis subsistit: quandoque in *uno alterove* tantum corporis loco *minori* tamen quantitate conspicua evadit, velut in *pectore*, *dorso*, aut *femoribus*, nonnunquam *largius* cutem ingreditur, eandemque cum magna *asperitate* qualificat & *eximio pruritu* & *ardore* molestat, inque eadem usque ad morbi *decursum* persistit: aliquando talis efflorescentia *purpurata cito* in cutem transit, sed cito iterum *evanescit* & ex eadem *retrocedit*, quod accidens dehinc *periculosissima* excipiunt & comitantur pathemata: & sub tali *anomalo* statu communiter *vires extreme* sunt pro-



*stratae, pulsus valde inordinatus & debilis, urina limpida, aut rubicunda & turbida, aut muriae turbulenta instar conspicua: sub tali irregulari, impedita, difficili & turbulenta purpuræ efflorescentia compatiuntur nonnunquam quædam abdominis viscera, corripit videlicet quandoque anxius conatus vomendi, aut actualis valde angens & cum lipothymia alternans vomitus: affligit sensibilis dolor colicus & periculosa diarrhæa, cum summo angore, majori virium languore & superficiei corporis rigore atque pallore: interdum operosa cordis commotio, modo tremula, modo palpitabunda purpuratas foeminas affligit: nonnunquam ex subitanea purpuræ retrocessione oritur impetiosa congestio ad uterum, quæ mox in inflammationem degenerat, adeoque acutiorem febrem concomitantem infert; inde interminus angor & ardor, magna sitis, deliria, distincta agrypnia, eximia inquietudo, alvi contumax adstrictio, urinae retentio & imminutio, nec non valde rutilans coloratio, sensibiles dolorificæ tensiones in abdomine & hypogastrica regione, imo tandem mox superveniens sudor anxius & frigidus, extremitatum refrigeratio, lipothymiae & denique mors consequuntur. Exinde facile patescit, quod hæc Purpura in Puerperis non constantem typum, sed variabilem processum servet, imo sub tali irregularitate facile in periculosum & funestum statum delabatur, quod eo facilius contingit, quo magis foeminae alioquin admodum sensibiles, debiles, valetudinariae & impuro sanguine prædictæ existunt: quæ considerationes in historica hujus affectus delineatione annotandæ sunt.*

§. VII.

*In Prognostica hujus morbi disquisitione notandum, quod in subjectis, quæ ante Puerperium Purpurato hoc affectu gravius afflictæ & nunc enervatæ fuerant, idem morbus sub Puerperio communiter periculosior existat & facile ægras jugulet: ita etiam Purpura quæ brevi post partum*  
cor-



corripit, ubi *fæminæ* magis *debiles* existunt, acerbior & *ominosior* est, sub qua puerperæ *citius* & *facilius* succumbunt: quando Purpura Puerperas mox gravi *debilitate* & virium prostratione, aut suspecta *oppressione pectoris* & angustia invadit, *deterioris* tunc indolis est: si purpuratus hic morbus subito cum *magno æstu*, pulsu valde *celeri* & frequenti, aut *impetuoso*, aut *inequali*, aut *debili* ingruit, prævum indicium est: quæcunque Purpura Puerperas cum *syncopticis* & *cardialgicis* molestiis valde affligit, illa sua indole *periculosior* est & familiarius *irregulariter* procedit & funeste decurrit: quando hunc affectum frequentes *perhorrescentiæ* & *rigores* superficiei corporis comitantur, tunc *periculosus* admodum est status; quando graves *angustiæ*, pectoris oppressiones, *deliria*, *congestionés* ad pectus & caput, *ariditas* cutis, *urina pallida* & turbida, *obscurationes* visus, *tremor* membrorum, *sopores* &c. concurrunt, pessimum signum est: *anxius* & *frigidus* sudor, *particularis* digitorum, manuum aut artuum *tractio*, subitanea *orgastica exæstuatío*, repentina *suffocativa* comminatio mala sunt in affectu præsentis signa: *inopinata refrigeratio* extremitatum & *subitanea congestio* ad pectus & caput, cum *tremulo* cordis pulsu, aut irregulari huius motu, nec non cum *phrenitico* insultu, *dentium* stridore, *oris* tractione, *halbutieque* linguæ *prava* in hoc morbo sunt indicia: *largus* lochiorum fluxus, *magnus* æstus, *spastica* membrorum tractiones, *intensior* angustia præcordialis & cutis *arida*, cum difficili sudatione & purpuræ eruptione, perinde *periculosum* huius morbi statum produnt: Lochiorum *imminutio* aut *suppressio*, febris conjuncta *vehemens*, *delirium*, *sitis* magna, lingua *arida*, pectoris *angustia* gravis, iterum *periculosam* morbi qualitatem significant: alvus valde *adstricta*, *urina suppressa*, colica quasi *convulsiva*, cutis *constipatio*, *spasmi* in artubus, *ardens* sensus in abdomine, *angustia* præcor-



dialis & pulsus *confusus* pernicioſa ſunt in hoc affectu indicia: *Diarrhœa* fortis, obrigeſcentia & *horror extremitatum*, virium *eximia proſtratio* & ſudor *frigidus* æque *periculum* portendunt: Purpura, quæ jam ſub *ancipitibus* aut *periculofis* ſignis quadantenus in *cute* comparet, mox iterum *evaneſcit*, & virium *inſignem* languorem, *debilem* pulſum, *deliria* & ſuperficie *rigorem* infert, ſemper *periculofum* ſtatum denotat: ſemi aut plenarie *paralytica* afflictiones ſub hoc purpurato affectu in Puerperis occurrentes, utplurimum *funestum* indicium perhibent: *copioſa* & *impetuoſa* Purpuræ eruptio, cum *magno æſtu* & *largo* ſudore, nec non virium *gravi* defectu, *lipothymis*, *ægrypnia*, aut ſomno *turbulento* *periculum* indicat: Purpura & rubra & alba *ſimul* poſt puerperium effloreſcens, communiter *male* indolis eſt, tanto magis ſi *mox primis* puerperii diebus affligit: quando ſtatus *plethoricus* in Puerperis valde urget, impetuoſæ *anomalæ* vicariæ *Hæmorrhagiæ* irruunt & ad *partum* promovendum remedia valde *colefaciencia* adhibita fuere, tunc purpura facile in *deteriorem* indolem & eventum ruit: quod ſi ſub *difficili* Purpuræ eruptione præter graves *angustias præcordiales* conatus vomendi, tormina *colica*, *tenesmi*, *dysuria*, vagæ *eryſipelatoideæ* commotiones ſuperveniant, non modo totus ſtatus *confusus*, ſed & *periculofus* eſt: Purpura Puerperarum *cito exiens* & *cito recedens* utplurimum jugulat: quando ſub hoc affectu purpurato ardui affectus *uterini*, cum *partu* cohærentes, concurrunt, tunc *periculofior* inde redditur morbi ſtatus: quando puerperæ *alia* humorum *impuritate* laborant, aut *icterico* quodam affectu corripuntur, tunc purpura *ſuperveniens* non parum *periculi* infert: & ſi puerperæ alias *tenerioris*, *debilioris*, *ſenſibilioris*, imo *valetudinariæ* fuerint qualitatis, tunc communiter in iisdem purpura *periculofa* eſt: quando purpuratæ puerperæ diſtincto & *ſenſibili dolore*, maxime *punctorio* & *ardente* vel in *pectore*, vel



in *hypochondriis*, vel *hypogastrica* regione laborant, *malum* est indicium: quando sub purpurata invasione lochia *subito* alterantur aut *excessivo*, aut *defectivo* gradu, tunc cito e tali immutatione purpura *pravam* qualitatem induit. Quas observationes practicas de *suspecto* Purpuræ statu in Puerperis hoc loco annotare volumus, ut ex iisdem ad *oppositam* qualitatem, unde *melior eventus* sperari & promitti potest, *judiciosa* applicatio formari queat.

§. VIII.

In *Pathologica* hujus affectus tractatione, quæ nunc in ordine sequitur, non placet Purpuratum hunc morbum in *simplici* & *universali* suo schemate explicare, quam considerationem non modo *D. D. Præses* in peculiari *dissertatione*, sed & multi alii Medici variis scriptis commendarunt, sed potius *palmarius* noster scopus est, ut *Purpuræ* statum in *Puerperis* proponamus: ubi quidem brevi *repetitione* annotamus, quod *miasma materiale*, si-ve causa Purpuræ materialis, sit *subtile* quasi *volatile* valde *expansivum* *Sulphureo-Salinum* inquinamentum, in genere *universo* corpori, *seorsim* vero laudabili *lymphæ* & partibus, quas humor hic gelatinosus imprægnat, velut *membranosis*, *tendinosis*, *ligamentosis* & *nervosis*, *inimicum* & *nocivum*, hasque partes partim *irritando*, partim ad citiorem *corruptionem* disponendo, afficiens & offendens: & hoc *materiale* inquinamentum nunc paulo *lenius* & *benignius*, nunc *malignius* est, nunc magis in humoribus fluctuat, nunc prædictis *partibus textis* adhærescit, & in utrisque *perniciosos* suos effectus exferit: *Sulphurea* illius indoles partim ab effectu *putrescente* partim a *fectore sudoris* purpuratorum subjectorum, partim a *summa penetrabilitate*, partim a *facili* ejus *combinatione* cum humoribus *sulphureo* principio abundantibus, utpote in subjectis *plethoricis* & *calidioris* temperamenti, nec non in quibus *lymphæ pinguis* existit, nec non a *largiori* gene-



ratione & cumulatione sub *talibus* humoribus, partim a facili ejus *convenientia* cum *alia* humorum *dyscrasia* æque *sulphurea* ac *salina*, derivari & demonstrari potest, quo adhuc illi effectus pertinent, dum hoc miasma valde *commovet* & *orgastico* impulsu *reliquos* humores afficit, ut & dum per subjecta & remedia *similis sulphureæ* essentia & *augetur* & *incitatur*: *Salina* ejus essentia eminet in effectu ipsius *pruriente* & *stimulante*, quo *cutem* molestat, quo *alias teneras* partes affligit, ut *spasmi*, *rheumatismi*, *dolores colici* &c. oriantur, hinc etiam aliquando *gravia ulcera*, aut interna aut externa *rodentia* & *serpiginosa*, post purpuratum hunc morbum sequuntur; ea propter etiam hic affectus facile sese cum *alia salsa* humorum impuritate *conjungit*, quid? quod in *cura Salina* fixiora & acriora *ægre* perfert. Quod vero *differentiam specificam*, in hoc miasmate obviam, attinet, cur videlicet hoc præcipue humores *gelatinosos* afficiat, talibus *specificis* alterationibus corpus affligat, talibus etiam *excretionum* speciminibus se sistat, ut a *variolarum*, *morbillo- rum*, *scabiei* &c. materia vitiosa sive causa *materiali* discrepet, tunc ratio genuina, *specificæ* & *essentialis* hujus *discrepantiæ* & huius materiæ reddi *haud* potest, quoniam in tantis *subtilitatibus* etiam *physicis* eruendis *intellectus* humanus *imperfectus* & *insufficiens* est, adeoque in *effectibus* quibusdam *sensualibus* observandis & conciliandis acquiescere debet: interea in primis *originibus* hujus causæ detegendis *quedam* circumstantiæ intellectui humano succurrunt, quando variæ *impuritates* ex *aëre*, *vi- elu* & *potu*, *se* & *excretionum* naturalium turbis, speciali *climate*, *situ* & *constitutione terræ*, *loco* & *aqua*, diversa *incongrua* commotione corporis &c. generantur, humoribus & toti corpori humano communicantur, adeoque *primus* ipsis accessus ad inferenda *damna* paratur: & hæc perniciofa materia nunc *quantitate*, nunc *qualitate* di-  
scre-



screpat: aliquando in *minori* & tolerabiliori copia in corpore *latitat*, aliquando *humoribus mucidis* magis *impastata* est & sub tali vehiculo tam *cito* per *universum* corpus se *disseminare* & expandere *haud* potest, unde sub ejusmodi *consortio* nunc in *pulmonum* textura & cellulis hæret & molestam ac suspectam *tussim* provocat, nunc in *intestinorum* & *mesenterii* glandulis oberrat & suspecta *tormina* colica excitat, adeoque in *mitiori* tali statu *ve*xas suas faceffit: interdum hoc miasma per *errores dietæ*, *regiminis* & intemperiem *aëris* ita *exaltatur*, in humoribus *separatur*, *rarefit* & *augmentatur*, ut graviores & *periculosiores* nunc effectus exlerat, sicque eminentem & præcipitem *corruptionem* minetur: Quas observationes & considerationes in genere succincta delineatione de causa *Purpuræ materiali* proponere volumus.

§. IX.

Hoc miasma purpuræ *specificam* iterum habet *relationem* ad *aiscretam mixtionem* humorum, præcipue *gelatinosorum*, unde quidam homines *faciliter* hoc morbo corripuntur, aut per modum *infectionis* epidemicæ afficiuntur, alii *difficiliter* & *tardius*: Ad hanc *citorem* & *faciliorem*, aut *tardior*em & *difficiliorem* invasionem multum contribuunt *clima*, regio, *territorium*, speciales *tempestatis* & *atmosphæræ* rationes, velut aura *tepid*a, *humida* & ad *corruptiones* in genere excitandas & exacerbandas idonea, ob quam rationem hic morbus *certis* regionibus quasi *epidemicus*, aut *endemicus* est, quo magis videlicet *talis* intemperies aëris ad talem humorum alterationem contribuit: neque penitus *aque* aut *reliqui* potus consideratio & *relatio* oblivioni tradenda est, quando nimirum illi ad *talem* mixtionem humoribus inferendam, aut qualitatem conciliandam contribuunt, cui *invasio purpurata* magis respondet: unde etiam *certa victus* ratio ad hunc affectum *citius* disponit; quam ob  
rem



rem *lactis* frequentior usus sub vita *sedentaria* & quando *aliæ impuritates* colliguntur, corpora ad hanc *infectionem* purpuratam disponit: non minus *frequens* potus decocti *Coffee*, præcipue *saturati*, sub quo insuper *massa sanguinea intensius* commovetur, & *sudor* impellitur, humores ad *faciliorem receptivitatem* inquinamenti purpurati disponit, quem sicut *foeminæ honoratiores*, nunc etiam *viliores*, sæpius ingerunt, ita ab eodem in genere in suo *sexu facilius* ad hunc affectum disponuntur: proinde ipsæ *fabæ tostæ Coffee* tale *sulphur empyreumaticum volatile* præbent, quod sub reliqua *fortiori* sanguinis commotione & proportionata *pingui ac subtili lymphæ* qualitate & relatione facile *purpuratum* tale miasma generare & excitare solet, præcipue si reliqua *terrestres* harum fabarum substantia non modo in genere *massam sanguinis*, sed & seorsim *lympham* laudabilem quadantenus *incrassat*, ut eidem posthac tam *communes* impuritates, quam *speciales* ad purpuram excitandam congruæ *infectiones facilius inherere* & ab illa *ægrius* separari queant, donec hic *ominosus* morbus inde generetur. Præterea hoc miasma pro *congrua mixtionis* humorum ratione & qualitate ex *ipsis humoribus* resolutis generari potest & solet, prout videlicet *reliquæ causæ* ex rebus *non naturalibus* in præcedentibus nominatæ conspirant: subinde partim *physica*, partim *moralis* causa alleganda est, cur hic affectus *non promiscue* omnia subiecta corripit, quoniam quoad *physicam* rationem non ex *quolibet* fit *quodlibet*, unde neque ex *qualibet mixtione* humorum, aut in relatione ad quamlibet talem *mixtionem* tale *specificum* miasma generatur, sed huc *comparativa* mixtionis dispositio & qualitas requiritur: *moralem* vero causam quod concernit, tunc *vigor animi* & cæterarum *virium* multum valet, quo tales *impuritates tempestive* eliminantur, ne *fixiorem* aliquam sedem in corpore nanciscantur, quæ *diutius & copiosius* asfer-



servatæ tandem hunc intricatum morbum plenario suo accessu & ingressu excitant: quamobrem multum virium integritas, firmitas & præsentia confert, quo in primo limine, adeoque in herba hic juguletur anguis: Et dum hoc subtile miasma ad motum subeundum perquam facile est, ita varia commoventia media sive pathetica, sive physica, præcipue fortiores commotiones sanguinis, undecunque provocatæ, non modo ad generandum illud inquinamentum, sed & ad exagitandum efficacissime contribuunt, ut dehinc tanto facilius perniciosos effectus exserere queat: quando etiam aliunde suspecta sanguinis dyscrasia colligitur & coacervatur & præterea per graves sanguinis commotiones hoc purpuratum miasma exagitur, tunc totus affectus purpuratus perniciosiores qualitates assumit, quoniam in complicato nunc statu comprehensus est: quod si etiam contigerit, ut alius affectus morbosus sive febrilis, sive alterius indolis, aut etiam periculosum vulnus in quodam subiecto præsens fuerit, tunc ob complicationem morbosæ & præternaturalis afflictionis hoc miasma purpuratum facilius funestam suam efficaciam exserit, id quod sub ancipiti febrili con- & decursu intra brevioris temporis ambitum certius contingit. conf. D. D. Præsidis Jurisprud. Med. Part. II. cas. 31 p. 367. de vulnere hepatis, non per se, sed propter purpuræ concursum lethali.

§. X.

In Puerperis miasma purpurarum communiter sub graviditate generatur, ni antehac genitum humoribus interfluctuet; quoniam vero sub statu graviditatis se & excretoriæ functiones valde alterantur & familiarius minuantur & impediuntur, ita variæ impuritates retinentur & coacervantur, ex quibus pro reliqua dispositione & mixtione humorum specificum hoc miasma & inquinamentum generatur & genitum augetur, imo depravatur, ut materiali sua qualitate magis nocivum & perniciosum evadat: quando

do



do itaque partus supervenit, sub quo universa humorum *massa* inter-  
*rum* valde *commovetur*, tunc hoc inquinamen-  
*tum* ita *excitatur*, ut *nocivum* suum effectum nunc *actu* ex-  
 cerere inchoet, dum *antea* aliis humoribus mucidis, pi-  
 tuitosis, catarrhalibus *innexum* & quadantenus in iisdem  
*quietum* latitavit: quo *laboriosior* & *difficilior* itaque reddi-  
 tur partus, eo magis hoc *miasma* *exaltatur* & deprava-  
 tur; quo *floridior* & *acrior* est sanguis, eo *deterior* hæc ma-  
 teria evadit, dum ex hac *sulphurea* & acri *falsa* sanguinis  
 qualitate magnum *accrementum* capessit; quo *plenior* &  
 turgidior est sanguinis *massa*, eo *impetuosius* non modo  
 hoc *miasma* *commovetur*, sed & ob nimiam pororum  
*oppletionem* *difficilior* *evacuatur*, adeoque *diutius* sanguini  
 interfluctuat & *moram* atque *spatium* impetrat, quo *per-*  
*niciosum* suum effectum exferat; quando insuper ad Par-  
 tum *facilitandum* valde *calescentia* remedia propinata  
 fuere, tunc per hæc illud *miasma* adeo vehementer inci-  
 tatur & *commovetur*, ut humoribus *intimius* intermiscea-  
 tur & in ac cum iisdem corpori *putrescentem* lethalem  
 effectum citius *communicet*; inde evenit, ut quo *forti-*  
*us* sanguis impellitur eo *largius* sudor succedat, sed eo *par-*  
*cus* *efflorescentia* purpuræ contingat, cujus *miasma* *firmius*  
 & *viscidius* sanguini inhæret; sub quo *difficili* eruptione  
 huius inquinamenti, dum hoc *teneris* & *sensibilibus* parti-  
 bus magis *adheret*, iisque *præcox* *damnum* minatur, eve-  
 nit, ut *lipothymie*, *angustie* præcordiales, *spasmi*, tensio-  
 nes, *convulsivæ* *commotiones*, *rheumaticæ* malignæ *com-*  
*minationes*, *congestionem* ad loca talia copiosius hoc mias-  
 mate infecta, *colicæ*, *diarrhææ*, vitiosus urinæ successus,  
 periculosa stranguria, mictus cruentus, aut *paralyticæ* a-  
 toniæ in talibus locis consequantur: quando porro tem-  
 pore aut *imminentis*, aut *existentis*, aut *peracti* partus talia  
*anni tempora*, talesque *tempestates* ingruunt, quæ ad *pur-*  
*purati* *miasmatum* *commotionem*, *exaltationem* & *deteriora-*  
 tionem



tionem contribuunt, velut *calido-humida*, aut *humido-frigida* & *frigida* & *calida* cito *alternantia*, tunc consequens & erumpens affectus purpuratus *deteriori* redditur qualitatis, quoniam ex *reliquis* causis jam nominatis tam *accrementum*, quam majus *detrimentum* suscipit: immo dum *Puerperæ* utpote *magno morbo oppressæ* considerandæ sunt, ita *præsens* status *uteri* reparandi aut *impuritates* quasdam *massæ sanguineæ* intermiscet, quæ *miasinati purpurato* perquam *nocivæ* sunt, aut reliquam *naturæ* activitatem *impedit*, detinet, imo quandoque pervertit, quo minus illa hoc *commotum* & *exaltatum* *miasina* *sufficienter* & *tempestive* eliminare queat: quando porro *Puerperæ* per *prævium partum* valde *enervatæ*, *purpuratum* vero *miasma* *admodum* *commotum* & *deterioratum* est, tunc *languente* *natura* *perniciosus* hujus inquinamenti effectus *citius* erumpit & *puerperæ* *faciliter* succumbunt: quando *Lochiorum imminutio* supervenit, tunc sub reliqua *fortiori* sanguinis commotione, *impuritatam* retentione, *miasmatis purpurati rarefactione*, morbi successus & eventus *citius* & *faciliter* *funestus* redditur: quando *lochia largius* fluunt, tunc communiter *fortior* sanguinis commotio concurrit & *præsens* *miasma* *purpuræ* *plus* incitatur, adeoque affectus purpuratus *gravior* redditur: quando ob *virium* gravem *imbecillitatem* hoc *subtile* & *refractorium* inquinamentum *facile* expelli haud potest, tunc in *puerperis* etiam quandoque *congestionem* ad *pectus* & *caput* tendunt, *cutis* vero interea *constricta* permanet, aut *exigua* *purpuræ* quantitas ex eadem emicat, *totus* vero morbi status sub tali *confusione* *admodum* periculosus evadit, ut *citius* ad *funestum* finem afflictæ *fœminæ* perveniant: quando hoc *miasma* certis *sensibilibus membranosis*, *nervosis*, aut *tendinosi* partibus copiosius *adhaeret*, tunc in talibus locis aut *congestionem*, aut *rheumatodeæ* afflictiones, aut *erysipelaceæ* inflammationes oriuntur; siquidem pro di-



*versitate loci affecti, nunc phrenitici, nunc paraphrenitici, peripneumoniaci, hysterici, convulsivi, colici alique affectus cum interno ardore & externo rigore oriuntur: quando hoc miasma ante matrimonium & graviditatem foeminas tales occupavit, tunc cum tempore deteriore qualitate induit, imo sub quolibet puerperio quasi maligniorem indolem prodit: interim repentina, simultanea & larga huius miasmatis eruptio in puerperis baud salutaris est, quoniam sub tali efflorescentiae modo ut plurimum faeminae viribus exhaustae succumbunt, ut residua huius inquinamenti quantitas in interioribus corporis noxam suam exferat: unde optima & bonae spei illa huius miasmatis est excretio, quando sub mediocri virium praesentia placide, tempestive & modice efflorescentia pustulosa miliaris sub comitatu temperatae diaphoreseos succedit: omnes vicissim relapsus huius materiae perniciose ad interiora non modo praesentaneam & extremam virium prostrationem, sed & acceleratam internam corruptionem inferunt. Et hi sunt fundamentales respectus ad praesentis thematis speciationem tractationem pathologicam spectantes, qui ex generalibus purpurae disquisitionibus illustrandi & confirmandi sunt, siquidem hoc themate non nisi specialissimam hanc observationem Purpurae in Puerperis quoad antenus explicare volumus.*

§. XI.

Denique *Practicam* huius affectus deductionem annectimus, ut appareat, quanta *circumspectione* hic affectus in Puerperis tractari debeat: quo magis itaque in genere Purpura *intricatum & refractarium* morbum constituit, eo major *sollicitudo & prudentia* adhibenda est in illius therapeutica tractatione, quando in Puerperis contingit: In cura itaque stricta & directa omnis fortis evacuatio pharmaceutica non modo in genere in Purpura, sed & *seorsim* in Puerperis valde nociva est, imo neque lenis laxatio

tio



tio Puerperis cum febre purpuratis curatorio scopo proficua est, quæ facile lethalem diarrhæam excitat, purpuræ eruptionem difficilem reddit, aut illius retrocessionem invitat & accelerat, nec non periculosas congestiones & erysipelaceas commotiones ad uterum & intestina tendentes, in funestum exitum properantes, provocat: promiscua, inordinata, intempestiva & larga sanguinis artificialis subtractio in hoc affectu, quando Puerperas detinet, nociva est, quæ non modo virium jacturam confirmat & adauget, sed & purpurati miasmatis tempestivam efflorescentiam impedit, aut plane revocat: sub qua annotatione veritati respondet, quod ex Langio allegat Bonetus in Polyalthæ Lib. V. c. 14. n. 15. p. 88. b. & c. 26. p. 332. a. V. Snem videlicet in Puerperis Purpura correptis præsentaneum afferre interitum: conf. Dn. D. Præsidis Jurisprud. Medic. Part. II. cas. 57. p. 571. inopportuna & perniciosa V. S. in Puerpera Purpurata. Omnia remedia, quæ alvum incrassant, adstringunt & in libero successu impediunt, in hoc affectu inimica sunt: omnia medicamina admodum calefacientia in hoc morbo nociva sunt, quoniam sanguinem valde commovent, qui alias in præjudiciosos orgasmos pronus est, quia etiam miasma purpuratum impetuosius exagitant, mixtioni humorum fortius impellunt & immiscent, confuse & præcipitanter illud ad evacuationem cogunt, & subinde putrefacientem ipsius effectum accelerant: quam ob rem in hoc affectu Camphorata, myrrhata, crocata, olea destillata, salia volatilia, concentrata alexipharmaca & diaphoretica, plus perniciosa, quam fructuosa existunt: quæcunque medicamina Lochiorum fluxui inimica sunt, illa in hoc affectu æque inutilia sunt; neque etiam in hac afflictione castorina remedia usu interno secura, quæ facile inimicas & perversas sanguinis ebullitiones concitant: communia uterina, quæ ut plurimum calefacientia sunt, in hoc affectu securum locum haud



inveniunt: quid? quod *aloëtica* remedia *nunc* consultius omittuntur, quoniam facile *præjudiciosam* humorum commotionem excitant: *regimina* valde *frigida* & *calida* semper sunt nociva: quælibet comparativa *diætæ* vitia æque pernicioſa sunt: *copioſa* remedium ingestio & frequens *immutatio* affectum hunc magis *corrumpit*, quam emendat: *largus* aut frequens *salium fixorum* digestivorum usus magis *officit*, quam proficit, quoniam ventriculum & primas vias *sensibilius* stimulat, adeoque *torſiones*, *cardialgias*, imo suspectas *diarrhœas* causatur: *omnia* remedia *imminutum* lochiorum fluxum *valde* *urgentia* & *impellentia* in hoc statu *perniciosa* sunt, quoniam præcipitem uteri *inflammationem* & corruptionem inferunt: *negligentior* status *plethorici* in hoc affectu tractatio *purpurati* miasmatis *excretionem* impedit & confundit: quæcunque medicamina & regimina ad lochiorum *defectum* & *excessum* contribuant, illa æque in hoc statu pernicioſa sunt: neque etiam *acida* subjecta, aut ex *pharmacia*, aut ex *diætâ* in hoc statu conducunt, quæ non modo facile in *primis viis* turbas excitant, sed & *dyscrasiam* infectæ lymphæ *augent*: quæcunque remedia *titulo* quidem diaphoreticorum *superbiunt*, sed simul *adstringentia* sunt, velut *uſta*, terræ *ſigillatæ*, *jovialia*, *martialia* &c., illa in hoc affectu minus *ſecure* operantur: *omnia narcotica* in hoc delicato morbo cane pejus & angue fugienda sunt, quæ non modo *peſſima ſymptomata*, sed & *repentinum funeſtum* eventum causantur.

## §. XII.

Quoad *poſitivam* therapevticam hujus affectus *explicationem* primo loco indicabimus, quomodo *Gravida*, in quibus ex *certis* & *peculiaribus* circumſtantiis infectio hæc *purpurata* & proxime poſt Partum *actualis* hujus morbi *invaſio præſumitur*, tractari & a tali periculosa *invaſione* tempeſtively *præſervari* debeant; ne vero Medicus ex *vana* præ-



præsumptione, adeoque *frustra & citra necessitatem* talem præservationem moliatur, interest quo ex *fide dignis* signis *judiciose* colligat, quod *tale* miasma in humoribus *Gravidæ* latitet, id quod *ultimum* tantum incitamentum requirit, donec *actu* subjecta talia corripiat: inter alias tales circumstantias & talia *signa*, quæ *collective* æstimanda & dijudicanda sunt, occurrit, quando tales *fæminæ antehac* hoc affectu correptæ & *inquinatæ* fuerant, aut quando sub *præsenti Graviditatis* statu *tales* aëris qualitates & tempestates obtingunt, quæ ad miasma hoc *generandum idoneæ* sunt & nunc actu in *aliis* subjectis & ipsis etiam aliis *gravidæ* tale inquinamentum generarunt: quando *gravidæ tali temperamento & corporis statu præditæ* sunt, qualis juxta *aliarum* observationum conciliationem *huic* invasioni purpuratæ subjacet, quando porro *insolitæ* *lipothymia* post *medium* etiam gestationis tempus affligunt, quando suspecti *sanguinis orgasmi*, sudores anxii, inconluetæ, incongruæ *alvi laxitates*, aut *colicæ molestiæ*, *rheumaticæ* afflictiones, *branchi*, *respirationis oppressio* transitoria, *tussis rauca* &c. corripunt, quando interdum *superficiem* corporis, *ardor & pruritus* molestant, tunc præstat *præservatorio* scopo justo tempore *incommodam*, præjudiciosam, *purpuræ* tamen pro eximio *vehiculo & nutrimento* inservientem sanguinis *abundantiam* artificiosa methodo per *V. Snem in pede* imminuere: deinde præstat etiam *primas regiones* sedulo ab impuritatibus præcipue *biliosis* liberare & abstergere; huc conducunt *rhabarbarina & mannata* remedia, ut & *passulæ laxativæ*, quibus *temperata carminativa* socianda sunt: talem evacuationem *magnesia alba & magisteria absorbentium* provocant, quemadmodum alias quandoque absorbentia alvum laxant *confer. A. N. C. Dec. 2. an. 7. obs. 131.* porro conferunt auxilia *lymphæ & reliquorum humorum acrimoniam temperantia*, atque *commixtas impuritates per modicam diaphoresin e-*



vacuantia: huc faciunt absorbentia *teneriora* aut præparata, aut in magisteriis offerenda, cum pauxillo *nitri* purificati & cinnab. miscenda: similem efficaciam habent *decocta* ex C. C. rad. Scorzon. Sarsap. Graminis, herbis meliss. chæref. scord. scabios. cent. min. plantag. c. b. passul. major. cost. dulc. Cort. Winter. Citr. parata: interponatur usus *diæteticus Avenæ* excorticatæ: *Diaphoresis* in placido ordine servetur & omnis in & externa *refrigeratio* sedulo arceatur; *diæta* conjungatur *temperata* & a copiosis impuritatibus & *Salsedinibus* libera: *motus* corporis pro ratione *status* Graviditatis *moderatus* conjungatur; vita vero *valde* sedentaria, aut *nimia* commotio corporis sollicite vitetur: *potus* adhibeatur *dilutior* & *temperatior*; spissus vicissim & sæculentus, nec non valde spirituosus omittatur: neque in sæminis prædictarum qualitatem pro embryo *confortando* concentrata, calefacientia & *spirituosa* adhibeantur, velut balsama oleosa, balsamus embryonis, aquæ vinosæ, spiritus volatiles & vegetabiles, similiaque, quæ sanguinem *valde* commovent & in nexum *miasma* purpuratum ita *incitant*, ut superveniente *partu* facilius & *gravius* dein *noxam* suam minetur, ino *actu* inferat.

### §. XIII.

Si vero jam *actu* hæc Purpura Puerperas affligit, tunc tempus, *ante* eruptionem, *sub* hac & *post* eandem probe observari debet: Præcipue tota cura ita instituenda, ordinanda & dirigenda est, ut *miasmatis* purpurati *pravitas* sine cunctatione & *expedito* effectu corrigatur, ut porro illud inquinamentum *tempestive*, placide & congrue *evacuetur*, ut reliqui status Puerperii, præcipue *Lochiorum* fluxus iusta ratio habeatur, ut denique per totam curam *vires* erigantur & suspecta *symptomata* avertantur. Inquinamenti purpurati *prava qualitas* emendatur partim *diluentibus*, partim modice *involventibus*, partim etiam *ab-*



*absorbentibus*: quam ob rem in hoc affectu conducunt *liquida* & quidem vel decocta *culinaria*, vel *pharmaceutica*, præter sufficientem potum *ordinarium*: præcipue profunt decocta *avenacea*, *bordeacea*, ex C. C. aut ebore raspatis, vel decoctum *Scorzon. c. avena*, vel *juscula* dilutiora, nec valde *pinguia*, ex carne vitulina cum radice *Scorzonere* decocta & modice cum macere aut cardamomo aromatizata: proficiunt itidem *temperatæ* gelatinæ, si non ægræ fæminæ easdem *speculi* nausea prosequantur; servata illa *cautela*, ne cum *acido* subjecto commixtæ sint: quoniam puerperæ aciditates *ægre* perferunt, & ab usu illarum facile in suspectas *diarrhæas* incidunt: conducunt denique in hac priori indicatione omnia *teneriora* absorbentia, velut lap. 69. ppt. M. P. pp. Corall. rubr. & alb. ppt. C. C. pulverisatum, & sine igne paratum, lap. 69. citrati, C. C. cum nitro calcinatum & detonatum, Conchæ tartarizata, quæ per diem bis vel ter vel *pulveretenus*, vel cum *aquis destillatis* temperantibus, diaphoreticis & analepticis propinari possunt. *Evacuationem* hujus inquinamenti adjuvant *temperata* diaphoretica, & quidem hætenus nominata *absorbentia*, quæ in tali casu etiam diaphoretica virtute pollent: talia pulverulenta remedia optime cum *Aquis* diaphoreticis & analepticis combinantur, velut cum *aquis simpl. destill* Scorzon. Scord. Scabios. c. b. galeg. ulmar. fl. Sambuc. fl. Tiliz, fl. paralyf. Ceras. nigr. e typhis Cerv. addito pauxillo specif. cephalic. Mich. & nitr. purif. nec non Essent. dulc. vel etiam pulv. Marchion. Et prima & altera indicatio administratur Emulsione dilutiori ex prædictis aquis destillatis, amygdal. dulc. pineis & pauxillo Ess. dulcis & Succin. aut Liqueoris C. C. Succinati parata. Quando *æstus* non urget, plethora *abest*, aliaque symptomata permittunt, tunc licet miscelam Essentiæ dulcis, Succini & flor.



*naphæ* paucis guttulis cum decocto dilutiori *avenæ* aut *C. C.* aut *Scorzoneræ*, ad promovendam efflorescentiam *Purpuræ* ordinare: quo præterea hæc excretio *placide* succedat, interest ut *congruum Regimen* conjungatur: quam ob rem præstat evitare *internum & externum refrigerium*, per quod non modo *efflorescentia purpuræ* *cohibetur & impeditur*, sed & *periculosis* congestionibus facilis *ansa* suppeditatur; & quia alias utplurimum *Puerperæ*, præcipue *sensibiles*, frigus ægerrime perferunt, quoniam inde *Lochiorum libero & sufficienti* successui gravissimum *damnum* infertur, & subinde *quilibet* affectus *Purpuratus* refrigerium *ægre* tolerat, hinc *duplicatum* eoque magis *periculosum & perniciosum* damnum ab eodem in præfenti statu provenit: præterea *legitimam* purpurati *miasmatis efflorescentiam* turbat *intensior* calor; quam ob rem *temperies* optime in hoc affectu proficit; inde contingit, ut nullus præjudiciosus *rigor cutem* obruat, sed *pori aperti* maneant, & humores *æqualiter* circulentur, & *sufficienter* peripheriam corporis ingrediantur: non parum etiam ad *promotionem* hujus purpuratæ efflorescentiæ contribuit, *potus tepidus*, aut *leniter* calidus, non decocti *coffèe*, sed potius *herbæ thee* cum tantillo anisi stellati mixti, quoniam fabæ *Coffèe* facilius *miasma purpuræ* nutriunt & augent: quod sicut *supra* indicatum fuit, ita variis rationibus & observationis illustrari & confirmari posset.

§. XIV.

Præter has indicationes *Lochiorum libero* processui prospiciendum est, qui si *excessivus* fuerit, non turbandus aut *cohibendus*, sed *temperantibus* remediis mitigandus est: huc conducunt *lenientia*, *gelatinosa*, *emulliva*  
nec



nec non pulveres ex C. C. s. igne, lap. 69. citr. Corall. rubr. ppt. & Nitro depur. aliquoties per diem offerendi: aut confert Tinctura Corall. cum Essent. flor. chamom. & spiritu nitri dulci mixta; Si vero *Lochia deficiant*, statui *urgenti plethorico* tempestive prospiciendum est *tempeſtiva V. Sne*, quæ tanto magis necessaria est, quando *Lochia mox post partum imminuta* sunt, quando *ipse partus difficilis & laboriosus* fuit, quando *fæminæ eminenter plethoricæ* sunt, quando ad partum *facilitandum calida* medicamina & regimina adhibita fuere, quando *fæminæ tales antea ad plethoram facile conciliandam dispositæ* erant, quando sub statu *graviditatis nulla aut insufficiens* sanguinis depletio artificialis præcessit, quando *alias* tales fæminæ aut *largo* Mensium fluxum, aut *alias artificiales* missiones sanguinis subierunt: deinde fluxus Lochiorum *revocetur* lenioribus alexipharmacis & sanguinis *æqualem* distributionem promoventibus, nec non *antispasmodicis* remediis, & fomentis *emollientibus & mitius* uterinis, præter reliqua adminicula ex eodem titulo seligenda & conferenda, quo tempestive hic Lochiorum fluxus *restituatur*: Virium porro sub *tota* cura habenda est ratio, quoniam alioquin eadem *facile* prosternuntur, & ob *jacluram illarum* afflictæ tales Puerperæ *citius & facilius* succumbunt: hæc virium *erectio lenibus & securis*, haud tamen *concentratis* instituatur remediis: quam ob rem laudamus Julapia ex Decocto Scorzonæræ, aquis destillatis analepticis & tantillo nitri conficienda, omissis syrupis & *dulcibus*: huc pertinent Emulsiones analepticæ cum Ess. dulci combinandæ, nec non potiones & mixturæ *non valde spirituosæ & concentratæ*, nervinæ atque cordiales; etenim in hoc affectu *lenissima* nervina conveniunt: quo præcipue aquæ destillatæ ceras. nigr. Lavendul. naph. cinn.



simpl. lil. convall. meliss. rorismarin. primul. ver. betonic.  
 mastich. matricar. chamomill. menth. crisp. fl. pœoniæ  
 &c. conferunt. Denique etiam prava & pernicioſa Sym-  
 ptomata aut præoccupanda, aut avertenda & ſubjuganda  
 ſunt: inter illa præcipue primo loco annotamus augen-  
 tem illam ſanguinis *orgaſticam* commotionem cum ma-  
 gna *inquietudine*, æſtu, *oppleſione* peripheriæ corporis,  
 cordis *angore* & pectoris oppreſſione conjunctam, quæ  
 facilem purpuræ eruptionem *impedit*, adeoque affectum  
 periculoſiorem & moleſtiorem reddit: hanc ſymptomi-  
 cam afflictiõnem quandoque *ſuſpecta* ſanguinis *abundan-*  
*tia* cauſatur, quæ cauſa *opportuna V. Sne.* auferenda eſt;  
 inde evenit, ut purpura non modo *facilius* effloſceſcat, ſed  
 & reliquus *ſuſpectus motus* ſanguinis, indeque pendentia  
*alia* ſymptomata mitigentur: proinde ad hunc *impetuo-*  
*ſum* motum ſanguinis *leniendum* reliqua hætenus com-  
 mendata lenientia & temperantia auxilia conveniunt,  
 quæ præcipue paulo *frequentius* repetenda ſunt: dein-  
 de *alvi retentio* vel globulis moſchatis, vel pulveribus  
 paulo largius nitratis, vel uſu mixturæ ſimplicis non val-  
 de acidulatæ & camphoratæ ſub aliis potionibus aut ve-  
 hiculo decocti avenacei, hordeacei vel Scorzonæræ, re-  
 ſeranda & aperienda: *Diarrhœa* ſuſpecta pulvere ex C.  
 C. ſ. ign. Corall. rubr. & Cort. chaccar. cum anif. ſtel-  
 lat parato, aut ex antimon. diaph. martial. Ludov. lapid.  
 69. citr. corall. rubr. ppt. & nitr. depur. compoſito, co-  
 hibenda & mitiganda eſt, quo etiam conveniunt *lenia*  
*diaphoretica*, quæ *congeſtionem* ex abdomine transferunt,  
 diſcutiunt & legitimam purpuræ excretionem promo-  
 vent. *Congeſtiones* ſanguinis pertinaces in certa loca,  
 velut ad caput & pectus, *frictionibus* ſuperficiæ corpo-  
 ris, blandis *fomentis* in *oppositis* regionibus, internis  
*antispasmodicis*, topicis *diſcutientibus*, applicationibus  
 veſi.



*vesicarum* modice calidarum ad regiones extremas, temperatis *rubefacientibus*, selectis *sedantibus*, velut aquis destillatis ex floribus sambuc. chamom. falv. acac. primul. ver. &c. tractari debent. Et quando subitanea aut *præjudiciosa alvi adstrictio* præcedit, *lenissimo* enemate aut suppositorio medela ferenda est: sub vehementi & *contra-*  
*maci* gradu & statu ejusmodi *congestionis* V. Sio locum non habet, præcipue si plethora *neque* urget, neque lo-  
 chiorum *defectiva* vitia hoc consilium necessitant: Reliqua symptomata, velut lipothymia, sudores largi, dolores spastici membrorum & interdum plane interni & colici &c. secundum *generalem* methodum Purpuræ m-  
 dendi tractari debent. Suffecerit hanc tractationem *spe-*  
*cialissime* ad *præsentis* thematis tenorem applicuisse, dum *Purpuram in Puerperis* hætenus quoad palmarias cir-  
 cumstantias perlustravimus & explicavimus: Deo tan-  
 dem humillimas tribuimus laudes, quod in explicando &  
 commendando hoc *arduo Puerperarum* affectu nobis ne-  
 cessariis animi & corporis viribus adstiteret voluerit,  
 quem devotissimis insuper imploramus precibus, ut in  
 tam *fontico* & puerperis valde *periculoso* morbo ex  
 nostro labore exoptatus & salutaris  
 affulgeat successus atque

F I N I S.





\* , \* \*

**G**lück zu! Vielwerther Freund,  
auf Arbeit folgt der Lohn,  
So giebt Hygenens Hand dem  
Fleiß den Ring der Ehren,  
Dir übersendet heut Apollo Hut und Cron,  
Selbst Caus kan den Ruhm nicht seinem Soh-  
ne wehren.

Was, Herr Fridrici, Dir Fridriciana  
schenckt,  
Ist in der Medicin die höchste Freyheits-  
Würde;

Dabey bleib' aber tieff in Deine Brust ge-  
senckt:

Kein Sieg ist ohne Streit, bey Würden liegt  
die Bürde.



Das holde Saal-Athen war der gewünsch-  
te Orth,  
Wo wir in Redlichkeit recht gute Freunde  
waren,  
Jetzt trennt Uns Halle auch, Du eilst  
nach sicherem Port;  
Doch soll Dein Pol-Stern stets mich als  
Magnet erfahren.  
Reis' glücklich, lebe wohl, vergiß des Freun-  
des nicht,  
Der zwar zurücke bleibt, Vielwerthester  
Herr Bruder,  
Doch stetig bey Dir ist, und seuffzend  
Dir nachspricht:  
Ich wünsch' Dir guten Wind am neuen Eh-  
ren-Ruder.

Dieses schreibt zu geneigtem Andencken und  
beständiger Freundschaft ein dem Hoch-  
Edlen Herrn Doctorando in aller Auf-  
richtigkeit ergebenster Diener und Freund

Sigism. Hartm. Silehmüller,

Salzunga-Francus, M. C.

Er-



**G**laube, Herzens-Freund, daß bey dem Eh-  
ren-Tage,  
Da die Hygea Dir des Fleisses Purpur  
reicht,

Ich gleichfalls meinen Wunsch in Herz und Feder  
trage,

Der recht und gut gemeint, und alle Falschheit  
fleucht.

Dein unverdroßner Fleiß und emsiges Studiren,  
Damit Du manche Nacht oft schlaflos zugebracht,

Die mussten billig Dich zu grössern Ehren führen,

Drum auch Hygea Dir den Lorbeer zugedacht.

Du kanst nun für die Müß den Nutzen zehnfach zie-  
hen,

Des Himmels Gütigkeit ersetzt Deinen Schweiß:  
Macht nun die Arbeit leicht, versüßet Dein Bemühen,  
Belohnt die Munterkeit, becrönt den edlen Fleiß.

Nun bist Du sonder Furcht zur Ehre durchgedrungen,  
Obgleich die Bahn was rauh, die Burg der Ehren  
steil:

Du hast die grosse Zahl der Hinderniß bezwungen

Und also wird dir nun der schönste Lohn zu Theil.

Wohlan! so prange denn in der Geehrten Orden,

Kein Sturm-Wind blase Dir in Deine Segel ein,

Und da Du nunmehr bist ein Bild des Vaters wor-  
den,

So müßtest Du gleich Ihm berühmt und glücklich  
seyn.

Mit diesem wenigen gratulirte dem Herrn  
Candidato bey erlangter Würde, des-  
sen ergebenen Freund

**Johann Christoph Menzel,**

Hirschberga Silesius, Med. Stud.